QVAESTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIBVS DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM PARISIENSIVM DIE IOVIS X. DECEMBRIS

MAGISTRO IOHANNE BEAVCHESNES DOCTORE MEDICO, MODERATORE SAPIENTISSIMO.

An Apoplexiæ senex quam iuuenis opportunior?

CEREBRVM rationalis animæ domicilium, nullo sensu præditum, sensus tamen motúsque principium, vt omnium corporis partium est frigidissimum & humidissimum, ita frigidis & humidis affectibus est maxime opportunum, inter quos apoplexia sensum & motum vniuerso corpori adimens, & actiones principes offendens, affectus citra febrim vehementia, periculi magnitudine, & curandi difficultate facile excellit. Nam eruptione præcipiti, omnem sinuum anfractum obsidens, totámque molem copia grauans, eliso animali spiritu, & effæto natiuo calore, grauius reliquis respirationem labefactat: pro cuius prohibitæ vario gradu, & symptomatum syndrome, multiplex vehementis & debilis species diuersúmque discrimen emergit.

OMNIS generis habet suæ generationis causas; omnimoda quippe vétriculorum cerebri, & χαρωτίδων obstructione & adstrictione inuadit. Ad diathesim inducendo morbo idoneam plurimum conferunt rigens bruma, assiduus imber, casus, ictus, contusio, cibi ingurgitatio, crapula assidua, à quibus pituitæ, & humoris melácholici vbertas primaria originis causa; Nec enim à bile, flatu, nuda intemperie ortum ducit. Contingit autem ab anno quadragesimo in sexagesimum, cuiuslibet ætatis & temperamenti helluonibus, iis præsertim qui breui & crassa sunt ceruice.

PRÆCVRRVNT hoc malum, repentinus capitis & acutus dolor, dentium inter dormiendum stridor, incubus frequens, aurium tinnitus, sensuum hebetudo, iugularium distentio, vertigo, extremarum partium sine causa perfrigeratio, corporis grauitas, piger motus, vrina pauca cum sedimento farinæ crassiori simili. Comitantur signa tum communia cum epilepsia quidem καταπτωσις, spuma in ore plurima: cum soporosis affectibus stertor, somnus arctior: tum propria, sensus & motus priuatio, Dyspnæa, ob imbecillitatem, thoracis musculis in motus auxilium concurrentibus, ipsa sæpe respiratione sensum fugiente vt & pulsu.

AFFECTIONIS vero magnitudo ex noxæ respirationi illatæ vehementia dignoscitur, vnde apoplexiam fortem soluere impossibile, debilem difficile, atque hæc intra septimum ad summum diem iugulat, nisi vel febris superuenerit (quæ idcirco vtiliterà medico potest excitari,) vel opportune adhibita fuerint remedia: feréque accidit, vt qui eius periculum effugerint, mente capti postmodum aut obliuiosi in vitæ reliquum reddantur, at humore in alteram spinæ partem decumbente in paraplegian incidunt.

CARDO curationis in eo totus est, vt causæ antecedenti & coniunctæ summouendæ sedula impendatur opera, deriuatione, reuulsione, vacuatione, quem in scopum conferunt œnemata acrius vellicantia, quæ vomitum vehementer cient, extremorum vincula, frictio dolorifica, à cucurbitula scarificatus, iugularis secta, ptarmica, diaforeticus capitis fotus, litus, apophlegmatismi, pyroticum, & quamuis humoris irruentis & sedis laborantis causæ, valida catharsis pernecessaria, præferenda tamen phlebotomia, quod nihil æque cito præfocanti dyspneæ opituletur, obstructos ventriculos cerebri expediat, liberum spirituum vltro citróque commeatum reddat, sensum & motum, atque adeo mentem restituat. Sed vt inuenibus securius hæc præstanda, ita senibus magna cum cautione & cura, sunt administranda.

Ergo apoplexiæ senex quam iuuenis opportunior.

Asserebat Lutetiæ HENRICVS BLAÇVOD Parisinus. Anno salutis 1609.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes Biard. *M. Fransicicus Placet.* *M. Simon Bazin.*
M. Ioannes Gorræus *M. Andræas Duchemin.* *M. Nicolaus Pietre.*
M. Renatus Chartier. *M. Simon LeTellier M. R.* *M. Iacobus Cousinot.*

